

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4505

Auteur(s) : Richard IV l'Anglois, Avranches (évêque)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1268, 31 octobre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Richard, évêque d'Avranches, notifie l'accord conclu entre l'abbé et les chanoines de Montmorel, d'une part, et le recteur de l'église Saint-Martin de Montjoie, maître Nicolas du Pont, d'autre part, sur la dîme de ladite église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CLXXXIV, p. 185-187.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis Ricardus, Dei gratia, episcopus Abrincensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contentio verteretur inter religiosos viros abbatem et conventum Montis Morelli, ex una parte, et magistrum Nicholaum de Ponte, rectorem ecclesie Sancti Martini de Monte Gaudii, ex altera, super eo videlicet quod dicti religiosi, nomine suo et sui monasterii, dicebant se debere percipere et habere terciam partem decimarum fructuum crescentium in feodo Johannis Trehole, in feodo nemoris Galteri Amiot, in feodo de Buat qui continet feodum et dimidium, in feodo de La Late qui continet feodum et dimidium, in feodo de la Harouiere quem tenet Durandus Le Masnier, in feodo Garneri de Sancto Martino, in feodo Thome de Sancto Dyonisio et in feodo Girardi de Sancto Dyonisio, quos quidem fructus garbarum decimalium dicebant dicti religiosi ad se, nomine suo et monasterii sui predicti, ab antiquo pertinere et eosdem religiosos seu eorum mandatum possessionem vel quasi habuisse et habere, dicto rectore prefate ecclesie contrarium asserente, tandem, dictis abbate et conventu coram nobis conparentibus per fratrem Henricum, concanonicum dictorum religiosorum, procuratorem eorumdem, cum litteris procuratoriis sigillis dictorum abbatum et conventus sigillatis, ad hoc destinatum, habentem potestatem et speciale mandatum componendi, transigendi et ordinandi super premissis, prout in predictis litteris prima facie apparebat, et dicto rectore per se personaliter conparente, assensu nostro interveniente ac utilitate dictarum parcium pensata, de prudentum virorum consilio, conpositum, transactum seu ordinatum super premissis extitit inter ipsos coram nobis in hunc modum : videlicet quod predicti religiosi et sui successores per perceptionem fructuum decimalium ad ipsos pertinentium, ut dicebant, percipient et habebunt de cetero imperpetuum singulis annis a dicto rectore et successoribus suis duodecim solidos Turonensium annue pensionis eisdem seu eorum mandato a dicto rectore et ejus successoribus, ad festum Sancti Michaelis in Monte Gargano, integre persolvendos, dictis fructibus garbarum decimalium dicto rectori et ejus successoribus imperpetuum remanentibus de feodis ante dictis, ita tamen quod, si dictus rector vel ejus successores in solutione dicte pensionis dictis religiosi seu eorum mandato faciende deficerent ad terminum prenotatum, dicti religiosi seu eorum mandatum, de permissu nostro et voluntate, in grangiam dicti rectoris et ejus successorum, libere et sine contradictione aliqua, suam possent justitiam exercere quomodocunque vellent et quocienscunque, nullo a nobis alio mandato expectato,

donec de dicta pensione esset eisdem religiosis a dicto rectore et ejus successoribus plenarie satisfactum. Nos vero attendentes dictas compositionem, transactionem seu ordinationem utrique parti esse fructuosas et easdem approbantes, ad instanciam parcium, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum, dictum procuratorem dictorum religiosorum, nomine eorumdem, et dictum rectorem, nomine suo et ejus successorum, in hoc coram nobis consentientes ad premissa observanda omnia et singula condenpnantes. Actum anno Domini M° CC° LX° VIII°, die mercurii in vigilia Omnium Sanctorum.